

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0196

0194

0200

0190

0205

0185

0245

0145

0295

0095

0695

Ende

Anfang

185

adhaerent montes alti et petrosi. Ita autem sunt piscinae illae exstructae, quod in supra et prima decurrit aqua viva et replet eam. Et de illa fluit aqua in secundam sub ea; de secunda in tertiam. De qua consequenter transcurrunt in hortum deliciarum, et per canale de eadem transmittitur aqua usque in Jerusalem ad latus templi, ubi erumpit, sicut patet fol. 227 A. Aqua vero, quae de hortis consequenter transfluit per vallem civitatis, decurrit in Sodomam, et per desertum Thecuae, cui adhaeret contra austrum desertum Macheron, in quo mons Carmelus est, qui fuit possessio Nabal, quem David, dum esset in fuga a facie Saul, rogari fecit, ut mitteret ei de pane et aqua sua, quod ille cum contumeliosis verbis denegavit; propter quod David commotus insurrexit contra eum et universam domum ejus, et nisi Abigail uxor Nabal pro eo intercessisset, omnia dissipasset, sicut patet 1. Reg. 27. Super has piscinas in opposito montis latere vidimus paganos fodientes et laborantes ultra sexcentos pro inductione novarum aquarum ad antiquas in Jerusalem. Inventae enim sunt aquae in desertis montibus non remote ab Ebron, longe a piscinis istis, quas dominus Soldanus conatur inducere usque in Jerusalem ingentibus expensis, immensis laboribus, sagaci industria, multis ingenii et acutissimis artibus, per tot montium cavitates et rupiam ac petrarum incisiones et saxonrum perforationes et dejectiones lapidum, ad spatium octo milliarium alemannicorum gurgitem dirigens per saltus et clivos secundum proportionatas mensuras. Antiqua etiam canalia innovat et retinacula aquarum pluvialium multa facit et omnes modos excogitat, ut civitas sancta Jerusalem aquas habeat, et nec expensis nec laboribus parcit, in quo non modica laude dignum se fecit rex Soldanus. Nam Salomon Ecclesiast. IV. 4. laudans opera magnifica gloriosorum viorum laudat Ezechiam regem pro eo, quod ferro fodit rupem et induxit in medium civitatis Jerusalem aquam, et aedificavit ad aquam puteum. Idem 48. De quo etiam laudatur 4. Reg. XX. et 2 Paral. 32. idem rex Ezechias.

Nec tamen similis fuit labor Ezechiae labori Cathubae Soldani, qui non solum fodit rupem, ut inducat aquas superiores fontis Gyon in civitatem, sed scindit montes a longe

